Szręcicki A.  1872. IV. 153.
Vita And. Noscovii

~~Hist. 3667.~~

# ANDREÆ NOSCOVII EPISCOPI PLOCENSIS. VITA.

*PER ANDREAM SWIĘCICKI Notarium Territorij Nuriensis, eius ex Sorore nepotem.*





Cum licentia superiorum.

VARSAVIÆ,
Apud Joannem Trelpinski, S. R. M. Typographũ. Anno Domini 1637.

Perillustri & Magnifico Domino,

# D. ADAMO NOSKOWSKI

à TRĄBKI ET NOSKOW ATQ; IN ŁĘCZNA & TEREBIN &c. &c. hæredi. Finium Regundorum Municipij LVBLINENSIS Judici.

Dño ac Mecænati suo. Felicitatem.

*INter brutas animantes ingenio Princeps Elephas, vt prolem naturæ fabrica in suo vtero elaboratam effundat, decennium iuxta sensum vulgi postulat, Vir Clarissime. Ita sapere videtur Elephas etiam in partu, cum lente festinat. Hoc in oculis paruum, in re, magnum opus, non satis ad maturitatem collatum sibi putaret, si decennio premeretur, quinimo, velut festinante cane cæcus catulus nasceretur. De Illustrissimo enim Andrea Noscouio Episcopo Plocensi, diuino plane viro communique nostrum Auo, multis abhinc annis a patre meo elucubratum, non paucis ab illo ipso, plurimis a me æstatibus in cæca scrinii aluo, velut in vtero quodam, cum velatum, tum etiam circumlatum est. Monstraram id quidem Sanctissimo illi Seni Hieronymo Cielecyo Plocensi itidem Præsuli, ( cuius vel cineribus me plurimum debere fateor ) tum Petro Gembicyo protunc* Regenti, *vt vocant, Maioris Cancellariæ, demum, magno* Regni *Secretario, qui nunc iam & Procancellarius est* Regni, *& Præmysliensis Episcopus, qua viro doctrina? qua elegantia? atque Georgio Leyer Presbytero e Societate Iesu, qui nunc Serenissimi Principis Casymiri a confessionibus est ( vna enim tum mensæ Episcopi illius accubueram⁹* Wyskouiæ*) aliisq; amplissimis & doctissimis viris, Cielecyo tunc temporis præsentibus voluere illi auidi, plurimum arridere, manus offerre: Deinde, ne blattas tineasque hic partus pasceret, sed in lucem*

 *& aspe-*

& aspectum hominum effunderetur suadere, hortari, vrgere, dicereque, incongruum esse, Virtutem, solidi pectoris hospitem, tanto tractu temporum iustum gloriæ fructum non decerpere. Hic sensus & consensus tantorum fuit Virorum. Mihi vero, vt pote nonnullis, ab hoc negotio deterrito, comperendinare visum est. Cum enim ea sors charissimo Patri meo contigisset, vt ex BARBARA Noscouia clarissimi huius Antistitis sorore nepos natus, sub eius tutela fuerit, demum vitam eius contexuerit; verebar, ne, plus colorum quam verborum, vel ex agnati sanguinis affectu, vel ex assentandi studio, quam ex ipsa veritate influxum ei iudicaretur. Sæpenumero enim vexat censura etiam columbas. Morosiora igitur ac difficiliora legentium quam audientium iudicia prima fronte perhorrescens, fortius pedem fixeram. Sed omnibus numeris absolutissimi Præsulis vicit iter durum PIETAS, liuidaq; censura posthabita, omnino monstrandum ac reuelandum orbi OPVS persuasit. Quantum emolumenti sit allaturum, diuinare superuacaneum esset. Si quidem in eo, & minoribus calcar, & æqualibus viuum exemplar, & maioribus præclarum æmulum, inuentum iri non despero. Ita videlicet suam ille viuendi rationem conformauit, vt solus & vnicus, omnibus sufficiens theatrum posset esse. Quare, hac etiam ex parte scopum tetigisse me puto, quod Te vnum ex omnibus huius libelli protectorem delegi. Cum enim non solum familiæ & sapientiæ, sed virtutis etiam luce, felicissimum ratus horum trium nexum, fulgurare cupias, hic te in Præsule illo talia decora effulsisse, velut fidelis magister edocebit. Desideras eum magnum in familia? Tuæ est. Quæris in imagine ipsius virum ad mentem Palladis? Iste est. Amore virtutis ardes? Norma est. Equidem Vir Magnifice, honorem maiorum tuorum satis abunde tueris, cum numen inprimis diuinum PIETATE, Patriam obsequiis, amicos beneuolentia, domesticos amore, omnes denique humanitate Tibi deuincis. Sed ne satis nota enarrem. Acrius & alacrius eodem quo cæpisti pede progrediere, si vitæ Antistitis illius imaginem, prudenti æquæ atque pio oculo fueris contemplatus. Quapropter

*propter Vir Magnifice, auitarumque virtutum custos sedule atque perpetue, TIBI munus hoc, libenti non minus quam syncero animo Dico. Si paruitatem illius respexeris, erit fortasse iuxta tritum illud Hoc munus non munus: Vbi tamen oculum in rerum magnitudinem intorseris, Iliadem in nuce conclusam iudicabis. Aspice iam tuum solem Aquila. Me vero, qui ex intimis tuis esse non vane numeror, ex eadem nempe magnæ memoriæ aui linea, ad omnia promptum, paratum, expeditum, eo, quem sanguis exigit amore prosequere. Vale. Sitnii* vj. *Nonas Maii. Anno humane salutis* M. DC. XXXVII.

*Perillustris M. T. obsequentissimus*

*Cliens*

SIGISMVNDVS SWIĘCICKI
de Magna Swięcice.

# ANDREÆ NOSCOVII EPISCOPI PLOCENSIS VITA.

ANDREAS NOSCOVIVS Ladiâ equestri & veteri familiâ, Patre Floriano & ANNA LESCINIA, natus est in villa Noscouia agri Zakroczymensis. A pueritia tenuiore etiam quàm pro fortuna patris cultu educatus, adolescentiam nihilò splendidius egit. Ingenio docili cùm percepisset doctrinas, quibus tenera ætas imbui solet, prouectior iam ad grauiora studia animum conuertit: in quibus adeò profecit, vt ne nunc quidem in hoc ingeniorum cultu, indoctus haberetur, tum certe comparatione æqualium excelleret. Adulti iam & iuuenis cùm iam celebraretur multorũ sermonibus virtus, Paulo Trombio Masouiæ Procancellario propinquo ipsius ignota esse non potuit: qui accersitũ ad se, cùm quodnam vitæ genus vellet eligere quæsiuisset, accepissetq; sacris se initiari velle; collaudato adolescẽtis consilio, res illius curæ sibi fore promisit, nec ita multo post, & perduxit in aulam Masouiæ Principum, & quâ poterat in gratia collocauit. At Noscouius fide, assiduitate & industria perfecit, vt commendatione aliorum non valde indigere videretur. Ornatus enim honesto à Principibus Sacerdotio, etiam alterum opimioris fructus adeptus est. Atq; incidisse quidem in homines

eiusmo-

eiuſmodi, ijſq; ſe dediſſe, qui boni eſſent alienæ æſtimatores virtutis: Fortunæ cuiuſpiam fuit hoc proprium ipſius, cepiſſe honores ſic, vt nulla reſederit aut ambitus in eo, aut ſordidæ prenſationis ſuſpicio. Reliquus honorũ curſus idem fuit: non enim petebat honores, ſed is erat, qui non petens etiam, ornari ijs mereretur. Vnde cùm ab exceſſu Stanislai & Ioannis Maſouiæ Principum, ad Epiſcopum ſe Płocenſem contuliſſet, in Collegium xij. virûm Pułtouiæ, ab eo cooptatus eſt. Vbiq; eum ſe exhibuit, vt & in priuata vita ſobrius, & in ſuo munere diligens, & concors in Collegio haberetur. Hic tamen vitare non potuit, quominùs rei ſuæ cauſa in iudicium veniret: cuius cum non facile domi reperiret exitum, Romam petijt. Quanquam cum magno deſiderio vidẽdæ illius iam antea teneretur: non tam negotij cauſa, in quo conficiendo, opera ipſi non defuiſſet Patronorum, quàm vt animo ſuo morem gereret, iter illò ſuſcepit, adeptuſq; eſt id quod optârat, vt & vrbem Romam, in eaq; omnia quæ aut pro pietate ſua viſenda, aut pro curioſitate humani ingenij inſpicienda eſſent, videret: & præterea moleſtijs litium aliquando liberaretur. Poſtea cum domum ab annua peregrinatione eſſet reuerſus, notauiſſetq; in ea multa quæ ad formandos mores pertinent, ſic vitam inſtituit, vt ad priſtinam probi hominis laudem, alteram etiam boni ſacerdotis, adijceret. Nec tamen eò ſeciùs officia amicis præſtare intermiſit. Nam cùm eſſet Ioanni Billinio deſignato Epiſcopo Płocenſi, intima familiaritate coniunctus, verſantiq; in regia, non modo vt ſuppeterent ad cultum omnia copioſè, ſed etiam vt ſuper parto nuper ſacerdotio, diploma Romæ expediretur, maximè laboraret: iuuãdo amico homine & pecuniam ſuam expendit omnem, & ali-

& aliunde sumpsit mutuam. Quo factum vt breui extincto Billinio cùm pecuniæ soluendæ adesset dies, Sponsoris Noscoui langueret industria, periclitaretur fides; nisi anxium animi, ipse qui nunquam probos dubijs in rebus deserit, respexisset Deus. Sint sanè alia ex quibus quantum is valuerit ingenio, quantum consilio, intelligi potest. Hoc quis non fortuitum & diuinum quid, fuisse putet: quòd cùm Cracouiam cum Iacobo Billinio Suffraganeo Płocensi venisset: vt quantum frater eius opera reipublicæ nauanda, æris alieni contraxisset, ex tabulis testamenti Sigismūdo Regi ostenderet: rogaretq; nisi hæredes vellet esse perditos, solutionem nominum vt ipse explicaret: sic probatus est, quà congressus, quà constantiæ, quà sermonis & disputationis cum Principe, vt dignus maiore quàm in qua tum esset fortuna, omnibus videretur. Qare cum Bona Regina per Thomam Sobotium Regni Cācellarium prolixè & per benignè operam offerret, si vellet, se curaturam vt studium Regis in adipiscendo Pontificatu Płocensi ipsi non deesset: Noscouius pauca de se præfatus, actis multo verborum cum honore gratiis, iudicium grauissimæ & prudentissimæ Reginæ, maiori sibi voluptati esse, quàm ipsum honorem testatus est. Quid autem Regina in eo spectauerit, an quod ad Masouiam animum adiecisset (quàm donationis propter nuptias nomine à Rege deposcebat) ideò parare beneficio suo amicum voluerit, qui authoritate sua Prouincialium studia posset ipsi adiungere: an quid aliud secuta sit, non tàm constat, quàm illud certum est, in eo quoq; nihil ad summam fælicitatem Noscouio defuisse, quod is honor qui propter dignitatem illi patere poterat non expectanti, certè non ambiēti obtigit. quem vti malis artibus quæ-

ri non decuit, ita repudiari fortaſſe non opportuit, vltro oblatum. Cùm itaq; curando nouo Epiſcopo, comitia à ſacro Collegio Płotiæ haberentur, Andreas Noſcouius Sigiſmundi Regis ſtudio ſubnixus, facile in ſe omnium ſuffragia traxit. Manebat enim etiamtum in ſpeciem vetus mos, vt penes Collegium ius eligendi Potificis eſſet: reuera Regibus ſic ſenſim electioni ſe ingerētibus, vt quod vellent, nutu à Collegio impetrarent. Ita tum quoq; cùm Sigiſmundus Noſcouium adiuraret, & per Brittium Sobotium contenderet, vt cum ipſe optimè noſſet cuius modi Senatoribus opus haberet, Noſcouium quem virum bonum & prudentem cognouiſſet, cæteris ſi qui peterent, præoptarent: prudentes homines honeſtius ſibi duxerūt, quod facturi vtiq; eſſent, iudicio ſuo potiùs quàm alieno imperio videri feciſſe. Magno igitur omnium aſſenſu Noſcouius Pontifex renunciatur, ſingulari bonorum lætitia, admiratione inuidorum, quod is homo qui nunquam Regiam fuiſſet affectatus, nonnullos in Regiæ oculis atque in luce hominum poſitos gratiâ viciſſet. Nec deerant qui dicerent largitione ſibi dignitatem parauiſſe. ego diuino potiùs beneficio factum puto, ſtudio tamen & mediocri diligentiâ ſibi haud defuiſſe non nego. Factus igitur Epiſcopus ſic munus illud adminiſtrauit, vt cætui ſibi commiſſo vigilantiam præſtaret, reipublicæ fidem, ſubiectis æquitatem & clementiam. Quo fiebat vt ſacerdotes intuerētur illum, quaſi è priſca aliquem memoria: Rex ipſe, quod eum talem in conſilium ſibi adſciuiſſet, iudicio ſuo lætaretur; populi verò quibus præfuit, cælo delapſum ad ſe exiſtimarent. Mortuus eſt breui poſt tempore Sigiſmūdus, cuius mors, acerba domeſticis, luctuoſa ciuibus, externis quoque haud læta fuit; tantus enim eius Regis vir-

tutis

tutis splendor extitit, vt hostes etiam cuius vim & fælicitatem metuebant, eius iusticiam amarent. Nemo erat qui non in magno periculo rem Polonam positam existimaret, excessu sapientissimi senis, admoto ad gubernacula negotiosi regni iuuene, & quod maximè timebatur, ciuium multorum studijs, non valde erga nouum Regem propensis. Noscouius qui ex quo Pontificatum iniuit, non temerè se domo commouerat, tum ad orbam perito gubernatore rempublicam accurrere, quam fluctuantem è tuto prospicere maluit. Itaq; Cracouiam profectus, vt optimè de republica meriti in seque benefici Regis supremis interesset: cum morti ipsius tum Bonæ Reginæ regiorumq; liberorum mærori veras lachrymas impendit: peractisque omnibus ritibus qui fieri circa Regum funera de more solent, postridie eius diei, alijs Pontificibus diuersis in templis sacra peragentibus, ipse in Diui Stephani piaculare sacrum fecit, quo more institutoq; maiorum expiandis mortui leuioribus noxis, mundissima hostia Deo Opt. Maximo offertur. Mox ad functiones Senatorias digressus, regem confectum mærore & lacrymis, vt animum à luctu ad capessenda Reipublicæ negotia traduceret, hortatus est, nec inanem eam operam sumpsit, nam qui participem se iustissimi doloris præbuit, eius in consolando valuit authoritas. Neque hîc ipsius cura conquieuit, sed cùm forte rex iuuenis, quòd inconsulto amplissimo ordine Barbaram Radiuilam vxorèm duxisset, alienioribus multorum animis vteretur: Noscouius qui sciret satiùs esse quædam ne fierent prohiberi, quàm cùm essent facta dirimere: tùm quoq; licet nonnihil in Rége desideraret, discedendum sibi à fide & obsequio non putauit; insigneque eius studium & opera fuit, sicut & nonul-

lorum ferè eius ordinis amplissimorum virorum, vt animi ciuium erga Regem ij essent, qui esse deberent. Ita ille medium quiddam secutus & grauior fuit, quam vt Regi assentari in animum induceret, & moderatior quàm vt turbas mouendas existimaret. Quare beneuolentiâ quoque illius Regis floruit, cui cùm fidem erga se, & ingenij dexteritatem probauisset, delectus ipsius iudicio est, qui desponsam sibi Catharinam Ferdinandi Regis filiam, Olomucio deduceret. Quod munus sic impleuit, vt neminẽ ante illum eiusdem ordinis, splendidiùs & magnificentiùs idem illud obiuisse omnes faterentur. Neq; id eò fecit vt pecuniam & opes ostentaret suas, vt qui esset ab omni vana gloria cùm naturâ tum vitæ instituto remotissimus, sed more maiorum, in priuata quotidianaque vita, frugalitati & temperantiæ, in publici muneris administratione magnificentiæ seruiebat. Quod ita esse reipsa statim declarauit, perfunctus enim eo munere, intextas auro vestes, argenteas fibulas, conosque quibus in cultu familiari vsus est, in sacras chlamydes & templorum donaria conuertit. Secutum est deinde tempus, cùm Bona Regina, liberos dignitate, fortunâ & ætate florentes relinquere, Barium in Apuliam demigrare, omnemque eò pecuniam deportare statuerat. Erat qui retinere ipsam posset tot charissimarum rerum quas relinquebat respectus, sed postquam nec filij preces, nec lectissimarum virginum filiarum lacrymæ flectere à proposito animum valerent, Principes Regni vocatu Regis conuentum Cracouiæ habuêre, in quo varijs varia suadentibus, Noscouius suo loco rogatus, nulla vel exprobratione beneficiorum, vel denunciatione inimicitiarum deterreri potuit, quominùs sententiam liberè diceret. Orsusq; à rustico quodam qui

anati gallinarum oua ſubdidiſſet, cùmq; eſſet ea excluſi fœtus negligens, & ſtagna identidem peteret, defixo in terram paxillo illam adligauiſſet; eâq; ſolertiâ effeciſſet, vt anas natatu prohibita, fouere pullos & ſolo aſſueſcere cogeretur: hac vt dixi narratione, cùm animos audientium exhilarauiſſet, poſtea & docuit quæ erant neceſſe, & ita grauiter & copioſè rem omnem explicauit, vt maioris ſanioriſque partis in eius ſententiam fieret diſceſſio. Moleſtè hæc Regina & iniquo animo tulit, ſed ea tamen conſecuta ſunt, vt nulli minùs odio digni eſſent, quàm qui eius conſilijs potiſſimùm obſtiterunt. Quo in numero Noſcouius fuit, qui demonſtrandis ijs quæ videbat incommoda, cùm officio ſuo ſatisfeciſſet, tum verò quæ erant futura prædixit vt vates. Fuit in illo mediocris quidem literarum notitia, ſed ſumma prudentia & ingenij naturalis quædam bonitas. Antiquitatis patriæ, legum, morum notitia, ad eaque retinenda memoria par. Eloquentiæ tantum ſibi parauerat, non quidem quod Oratori, ſed quod eſſet Principi Senatori ſatis, multa illius grauiter, multa leniter, multa facete dicta memorãtur. Itaq; dicturus ſententiam expectabatur ab omnibus, attentè audiebatur: nam in multa orationis grauitate, tamẽ inerat quidam lepos, ita vt nemo eſſet antiquæ illius vrbanitatis ſapore conditior. Nec vereor ne quis putet amore me vel nexu cognitionis proximæ prouectum, laudibus Noſcouij aliquid affingere: quod vt ita ſit tantum abeſt, minora tantum præſtantiſſimi viri adhuc attigimus; nam nec religione, nec pietate, nec iuſtitiâ facile quenquam priorem dixerim, & continentiâ, clementiâ, manſuetudine ea fuit, vt mihi videantur cum quolibet veterũ comparari poſſe ipſius virtutes. Nec tamen aut abiecta

comitas, aut mansuetudo lenta ipsius fuit: nam qui iniurias facile dissimulabat tenuiorum, idem potentum contumaciam nolebat perpeti, cuius rei plura exempla proferrem, sed ne sim longior vnico ero contentus. Nam cũ Ioannes Tarnouius vir summus authoritate, & multis magnisque virtutibus clarissimus, in familiari sermone multa de Sigismundo iuuene esset conquestus, adijciens regem allectis in Senatum quibusdam ex summis vitæ & fortunæ sordibus, despectum illum ordinem reddidisse, fecisseque quod aleatores, qui si desit aliqua tesserarum, coniecto in alueum rapi frustulo, numerum supplere soleant: hoc (vt fit) agitatum multorum sermone, cùm ad Noscouium (aderat enim Cracouiæ) esset perlatum, quanquam nec nobilitate generis vlli esset inferior, nec vitæ aut fortunæ suæ illum pæniteret: & à Sigismundo superiore in Senatum ascitus, magis ad alios quàm ad se pertinere aculeatè dictum, posset suspicari: tamen illud siue dicendi sal, siue maledicendi licentiam non tulit: frequẽtique hominum amplissimorum cætu, grauiter respondit, siue illa tessera sit, seu rapi frustum, quod loco tesseræ in alueum conijci Tarnouius diceret, dummodò in alueo sit, præclarè cum illo agi, nosse autem se multos, qui nisi opulentis familijs essent nati, vix dignè essent raporum quoque in alueo locum occupaturi. Raró quis vnquam sic demissè, vt hic magnanimiter se gerendo inuidiam superauit. Itaq; permultos quos primo Pontificatus suus perstrinxerat, idem eos cum laude gestus in admirationem virtutum illius conuertit. Nec tamen in quenquam aut facto paullo acerbior, aut dicto contumeliosior extitit; malebat enim non accersere iniurias, quàm vlcisci. Idem nullius in se beneficium aut dissimulatione transmisit aut

sine gratia: faciliusque poterat eorum quæ ipse præstitit obliuisci, quàm ea quæ percepit non agnoscere. Nec verò ij solùm gratitudinem ipsius senserunt, qui vnquam in illum benefici fuerunt, aut officiosi, sed etiam liberi ipsorum, quos quidem haud multò seciùs cōplectebatur quã si illorum esset parens, quamuis vnumquemq; liberalitate impari. Magna videlicet pro magnis rependebat, sed non poterat tamen ob minora merita neglectum se quisquam conqueri. Iam familiaritatibus nec ita multis implicabatur, & in deligendis ijs percautus erat & diligens: quas autem semel admisit, eas cōstantissimè & religiosissimè ad extremum vsque retinuit vitæ. Præcipuè verò exterorum coluit Aloysium Lippomanum Veronensem, & Jo. Franciscum Cōmendonum Zacynthium Episcopos, hunc quidem sic dilexit, vt vix frater quidem suus esset illi carior. Quanquam solebat ille omnes Legatos qui à Paullo IV. Pio IV. Pontificibus Maximis in Poloniam vētitabant, liberalissimè & honorificentissimè tractare: cũ vno tantum Jo. Bernardino Camerinēsi Episcopo nescio quid offensionis subitò contraxit: quem omnibus à se officijs cultum, cum neq; amicum sibi, nec æquum experiretur, adeò tamen vltus non est, vt nisi deinceps minus familiariter ipso vsus esset, immutatum eum esse illi plerique nescirent. Ita altitudinis animi eius fuit, grauem iniuriam profundâ obliuione contriuisse: pietatis, odisse potiùs Legatum nolle, quàm odio ipsius de sua erga Pontificem Maximum obseruantia quidquam minuisse. Iam qui in vltimis terris habebat tamen quos amaret, quonã animo putandus est fuisse vel in Regem suum, vel in eos ciuium, quos aut amicitia aut sanguine habebat coniunctos? mihi sane eo videtur fuisse, quo esse par est hominē iustissi-

iuſtiſſimum & benigniſſimum erga patriam, parentes, & amicos, quibus peræq; ac ſibi natum ſe meminiſſet. Ille Sigiſmundum Auguſtum Regem coluit ſic, vt qui maximè; ille fide, beneuolentiâ, omni denique obſequio perfecit, nemo vt ſui ordinis eſſet illi carior. Nam nec vnquã iniunctum ſibi ab eo munus aut onus refugit ( quod & alias patuit, & tum quoque cum Regem in Pruſſiam ſecutus eſt honoris cauſa, cum magno comitatu, culta familia ) & quod habuit commune cum paucis, re non ſemel illum ſuſtentauit. Itaque qui non temerè in ſua re ſolebat eſſe profuſus, idem bello magno & difficili Moſchico, inopiam ærarij publici ſubleuauit, cum Regi ad quadragies H--S. mutuo dediſſet. At enim oppida quædam hic in Maſouia & fundos à rege pignori accepit? quis autem eſt, à quo ſine pignore aut vſura nummum moueas? tantum abeſt, vt quis vſu Hypothecæ contentus de ſorte ſe patiatur in dubium venire: Noſcouius is fuit, qui cùm non ignoraret, pecuniam quam Regi credebat ( quod id legibus vetitum ſit ) nunquam ad hæredes ſuos eſſe redituram: ideoque pari fortaſſe cum fructu, tutius quidem illam poſſet alibi collocare, tamen vtilitati potius communi, quàm ſuis commodis ſeruiendum putauit. Nec verò minus hic principum in Republica floruit amicitiâ. amabatur à Nicolao Dzyrgouio Archiepiſcopo Gneſnenſi, eiuſque ſucceſſore Ioanne Prærembio, prætera Samuele Macieiouio, Philippo Padneuio, Epiſcopis Cracouienſibus, ſummis viris. Staniſlaum Hoſium Cardinalem, virum ſanctitate vitæ & doctrina inſignem, obſeruabat maximè, eiuſq; quoad poterat imitator ſtuduit eſſe virtutum. Idem Thoma Sobotio, Ioanne Ocesio magnis & laudatis viris vſus eſt amiciſſimis: præcipuè

cipuè verò Spiteone Tarnouio Senatore: quem omni virtute ornatissimum, idemq; in republica sentientem, singulari complexus est amore. vicissimque ille, quanti Noscouium faceret ostendit, cùm Florianum Trombium Noscouium, fratris ipsius filium delegisset sibi, cui virginem collocaret filiam, quæ res necessitudine illos iunxit, vix aliquid addidit ad amorem: Idem Stanislai Carncouij, Petri Myscouij, Georgij Podlodouij (qui iam tùm maiorũ natu, & laudibus succrescebant) & fortunæ, amicitiâ delectabatur; illisq; fauebat animo, non deerat studio, cùm pleno gradu ad summum dignitatis contenderent. Ita qui iunior Andreæ Critio, Ioanni Choinio, Petro Gamrato, Samueli Macieiouio, Ioanni Billinio, memorandæ in omni posteritate virtutis hominibus, fuit probatissimus: idem (vt vidimus) senex, non æqualibus modò suis, sed iunioribus quoque fuit iucundus. ex quo existimare licet, quâ ipsum re excellentem fuisse oportuit, qui amicitiam meruit optimorum: tales enim plerunq; ipsi sumus, quales sunt ij, quibus cum familiaritate iungimur: vt armenta sui generis sequuntur gregem, ita boni bonis facillimè aggregantur. An verò splendidas hic solùm coluit amicitias, veteres deseruit, fortunâ humiliorum? imo verò quos vel in condiscipulatu socios, vel in quotidiana vita coniunctos, vel in sacerdotio habuit collegas, eos per omnem vitam dilexit tenore pari. Non illi opes auxerunt animos, sed maiorem ad benemerendum de alijs præbuerunt facultatem, nemo hominum aut in congressu arrogantiam vultus ipsius notauit, aut humanitatem desiderauit, nemo in ope ferenda duritiam est expertus. Facilis non blandus, grauis non arrogans, seueritatem multâ comitate condiebat; quibus diuersissimis rationibus cõ-

 sequeba-

ſequebatur, vt cùm eſſet principibus venerandus, amabilis idem infimis exiſteret. Iam de integritate & continentia ipſius quid ego ampliùs dicam? cùm hoc verè videor poſſe affirmare: Neminem ex ijs quibus præfuit audiuiſſe me, qui ſe aut læſum, aut inhumaniter tractatum ab eo quereretur. Nulla noua onera impoſita, non operæ durius exactæ, nihil imperatum extra ordinem cuiquam, nihil ademptum: ſed omnia more maiorum, plena æquitatis, moderationis, clementiæ. Acceſſu facilis, non alienis auribus excipiebat querelas hominum, ſed ſuis. Audiebat quæ quis dicere volebat patienter, perpendebat prudenter, diſcernebat manſuetè: in toto genere iudiciario religioſiſſimus, ſeueritatē nulla gratia variabat. Nec verò ſatis habuit, ſeipſum talem exhibere: ſed ijſdem etiam finibus præſtabat, quos populis ditioni ſuæ ſubiectis præficiebat: quorum quidem omnium ſenſus erat idē, vt & laudi ipſius & exiſtimationi ſuæ ſeruirent. Itaque iuſto & miti imperio habita plebs, multitudine repleuerat agros. Florebant oppida locupletum mercatorum artificumq; copiâ: tota regio cùm hominum frequentiâ, tùm earum rerum, quibus vſus indiget: affluentiâ vigebat ſic, vt nihil potuerit eſſe cultiùs, aut amœniùs, aut opimum magis. Præcipuam verò religionis geſſit curam, qui cauit, ne noua doctrina, quæ prauis & impijs opinionibus hominum imbueret mentes, in diœceſi ſua pedem figeret. Itaq; cùm in cæteris Poloniæ diœceſibus inualeſceret malum, in Ploceſi vix vnus eſt inuentus, atq; is ne indigena quidem, qui ab auita & patriâ religione diſcederet. Hunc & ſuâ voce, & per amicos homines monitū, cùm abducere à propoſito non poſſet, hoc facere coactus eſt, vt quoquomodo tamen, oue morbidâ reliquum gregem li-

gem li-

gem liberaret: neque in tollendo eius vlcere aut igne, aut ferro vsus est; sed pecunià negotium confecit. Etenim cū ille ipse bona vxoris proscripsisset, neq; ob magnitudinē precij facile reperiret emptorem: Noscouius non diu licitatus precium persoluit, sicq; mollissimá viâ, hominem cum sua inani religione diœcesi submouit. O virum verè magnum & sapientem, dignumq; non vnius cui præfuit regiunculæ, sed plurium & maiorum imperio. Quod si summis ornantur laudibus qui discordias, seditiones, bella ciuilia populi alicuius sedauerunt, non minoribus certè digni videntur, qui ea ne acciderent, prouiderunt. Hanc ipsius siue vigilantiam, siue cautionem: si cæteri quoq; eius ætatis Pōtifices fuissent imitati, ordinis & boni moris plùs, turbarum minùs habuissemus. Sed incuriâ dicam, an conniuentiâ quorundam eò iam dementiæ peruentum est, vt quæ diuinitùs tradita, ab vniuerso cætu rectè sentientium, & intellecta syncerè, & obseruata firmiter, tot sæculis suam religionem obtinuerunt, ea nunc demùm à quibusdam in disquisitionem vocentur. Maiorum contra, sanctissimorum hominum vt recti in religione sensus, ita in retinendis ijs fuit constantia singularis. quorum, hic, & imitator moris & disciplinæ retinens, sacerdotes suæ diœcesis sanctè & seuerè habuit: curauitq; vt & rectè docendo, & quæ præciperent alijs, faciendo, populo veræ beatitudinis iter ostenderent: Horum ille non scrutabatur valdè omnes næuos, sed de quo aliquid inaudisset, quem impurum, aut ebriosum, aut aleatorem comperisset, hunc non facile incastigatum dimittebat. Nec domestica familiæ disciplina, minùs erat seuera aut grauis, quam ne numero quidem spernendam, genere tamen ipso magis æstimandam habebat, in hac erant

integerrimi ſacerdotes, excellentes tùm virtute, tùm arte aliquâ honeſtâ viri, & clarorum equitum adoleſcentes filij, & illi quidem erant eiuſmodi, qui ipſi per ſe rationē haberent officij ſui, iuniores vt pietati, pudori, modeſtiæ aſſueſcerent, magnoperè laborabat, quo in nnmero cum ne ij quoq; deeſſent, qui ab equitandi, venandi, & armorum ſtudio non abhorrerent; tamen multò pars erat maior, qui aut diuinarum rerum cognitioni, aut iuris Pontificij ſcientiæ, aut politioribus literis ſe dabant; Vnde domus eius Sacerdotum penè quoddam Seminarium fuit, cùm decedentibus fato, (vt neceſſe eſt) alijs atque alijs, in ſupplemētū eius ordinis, optimæ diſciplinæ tyrones ex ea mitterentur. Singulorū operæ diſpar gratia, omnibus vna mens, vt quâ quis poſſet optimi Pontificis amori & beneficentiæ reſponderet, quâ quidem is licet ad largiendā pecuniam eſſet reſtrictior, facile tamen ſuis omnibus alias ſatisfaciebat. Itaq; quod vix cæteri profuſione conſequuntur, hoc iſte mediocriter dando effecit, vt ſuos & morigeros & beneuolos ſatis haberet ſibi: Perſuaſum enim habebat, immodicis largitionibus, accendi potiùs ſordidorum cupiditates, quàm expleri, diffluentibus luxu, augeri inſaniam: contra, ſalubria iſtis, grata probis mediocria: nec tam neceſſarium putabat, aliquem effici potentem, quàm vtile non eſſe miſerum. Quodſi ieiuna videatur quibuſdam iſt hæc liberalitas, ij meminerint, metiri ſuo ſe modulo quemq; oportere: propterea, rectè hunc atq; ordine feciſſe, quod, non quid maximi Reges plerumq; faciant, ſed quod moderatum Pontificem facere par eſſet, cogitârit. Regem frugi nemo fortaſſe laudauerit: Sacerdotes iſta laus non dedecet. Quanquam nemo hunc aut ſordidum, aut triſtem in largiendo ſenſit: nā

& quan-

& quantum quisq; esset meritus, sciebat vnus omnium optimè perpendere: & dabat quod cuiq; esset satis. Quod nisi ita esset, nunquam is inter domesticos conuictores, Philosophos, Iuriscõsultos, Medicos, & quod vix credibile videri possit, Duces & centuriones habuisset, quos in suo quemque genere præstantes, ex ipsius domo tanquã ex aliqua virtutis schola prodijsse vidimus: quos ille omnes tractabat liberaliter. Cultu corporis splendidiore non libenter videbat vti sacerdotes. Quod signũ est, sic eum personam tueri solitum Principis, vt idem nõ obliuisceretur se sacerdotem esse. Itaque in quotidiano cultu, honoratissimi ferè pullâ & laneâ veste, pauci diuersi coloris, nemo purpureâ & sericâ conspiciebatur: Hæc nunc frugalitas fortasse rideretur, tùm certè honestissimo cuique placebat; & laudabile sanè erat, cùm subsidia & & publicæ & priuatæ necessitatis, in res inanissimas non consumebantur. Idem curabat, vt omnes familiares in itinere equis veherentur: hoc enim pertinere, ad tuendũ corporis robur putabat, & simul iuuentutem intermisso equitandi exercitio, mollicie & ignauiâ marcescere non sinebat. pauci erant, qui propter aut dignitatem, aut ætatem, aut valetudinem, rhedâ iter facerent, tantùm abest vt suorum aliquem sublimem curru, multi iugis equis, ex victa modestia triumphum agere permitteret. Nec modò sic continuit eos, qui quasi in domesticis ipsius erant, sed illos etiam quos oppidis suæ ditionis præficiebat, qui cùm ferè essent, aut sororum illius filij, aut affines, tamen vix alicui extra ordinem indulsit quidquam, non illos plura seruitia, non equos vltra præscriptum numerum alere, non vlla in re insolescere patiebatur. Sed qui erga luxuriam sic fuit immotus, idem ille se huma-

nissimè remittebat, cùm quis ope & auxilio eius haberet opus. Quare omnem is egentium & calamitosorum turbam, omnes tenuioris fortunæ sacerdotes, adolescentulosq; quorum patribus angusta domi res educandæ & imbuendæ honestâ doctrinâ prōlis facultatem ademerat, liliberalissimè iuuit. Quo fiebat vt opes quæ cæteris parare inuidiam solent, huic vni conciliarent amorem, cùm eas necessitati non luxui, & inopiæ alienæ leuandæ, non arrogantiæ cuiusquam alendæ, impendi homines viderent. Ac quò magis haberet vnde liberalitatem posset exercere, rem familiarem non neglexit, non auxit tamē cuiusquam cum iniuria: cùm omnis eius pecuniæ reditus ex annuis vectigalibus & fructibus ferè rusticorum constaret prædiorum. Hæc quoq; locare non erat solitus, quod & nonnullas molestias vitaret, & sibi hoc quod cōtra priorum Pontificum consuetudinem esset, parum licere existimaret. Hic cùm posset altius ascendere, tamen mediocritatem præoptauit, tanta est enim eum Sigismundi, Diui filij, gratia consecuta, vt nihil illi non offerret, quod sacerdotem fas est obtinere, sed ille sibi honorum modum statuit, cum præsertim iam pridem factus Episcopus nihil ad se permutatione eius muneris peruenturum esse cerneret, nisi quod maiores opes appetisse posset videri. Ex quo apparet illum non tam quod amplum, quā quod sibi satis esset, spectauisse. Quanquam autem & veterum beneficiorum quibus regiæ domui erat obstrictus esset memor, & oblata pro acceptis duceret, tamen in ijs quæ ad Rempublicam munusq; suum pertinebant, liberum Senatorem & Episcopum egit: qui quidem curauerit, vt in conuentu quem eligendo Abbati monachis Cerumensibus indixerat, nulli rei loci esset minùs quàm gratiæ.

gratiæ. Itaq; cùm nonnulli eſſent quorum ambitio in Rege maximè niteretur, Epiſcopus præuertendas ſibi molitiones illorum ratus, clauſo domicilio ne quis in ſuffragium miſſos interpellaret, ad concordiam maturandãq; electionem monachos hortatus eſt. Creato ſingulari omnium conſenſu Staniſlao Phalantio (à quo vt honorem acciperet ægre impetratum) tùm demum tabellarij Regis ſuperuenêre, lectæq; eius literæ quoſdam de ſuis commẽdantis. Satisfactum Regi egregia oratione, de electione nihil immutatum: cum ritè & legitimè creatum, priuare dignitate quam ſemel dediſſent, integrum ſibi non eſſe reſponderent. Atq; hæc conſultore & authore Epiſcopo acta, cuius magnitudinis animi fuit, quod offenſionem Regis, ſi ita opus eſſet, incurrere, quàm de libertate Eccleſiæ quidquam deminuere maluerit; prudentiæ, quòd ne Rex illi meritò poſſet ſuccenſere, cauerit. Nec dubiũ eſt quam rationem creandi Epiſcopi ipſe eſſet probaturus, qui Abbatem non probaret, niſi à Monachis electũ. Quanquam cum videret Sacerdotia more maiorum, & conſeruatis legibus capi deſijſſe, operam dedit, vt ſucceſſorem ſibi ſuſtinendo oneri parem, viuens deſignaret. Itaq; cùm quoſdam, qui ſumma ſimulatione amoris & cultus, captare ipſum videbantur, grauiter reieciſſet: primùm de Paulo Głogouio Archidiacono viro bono & erudito; deinde de Alberto Swięcicyo Płocenſi Decano, probitate pari huic muneri aſciſcendo cogitauit: ſed vtrique mox Petrum Myſcouium Regni Procancellariũ prætulit, florentem iam tum famâ ingenij, honoribus, gratiâ. Quò fiebat vt etſi tum quid in eo potiſſimum eſſet ſecutus pleriq; non perſpicerent, prudentiores tamen, non ideò minùs putarent quidquam niſi ſumma ratione feciſſe, cum

se. cùm præsertim vir ipse optimus, ex suo ipsius ingeniō alios æstimans, cum cætera in Myscouio probauisset, gratum etiam erga se, in suosq; beneficū facile crederet fore. Ac vtrum rectè diuinarit, non disputo, sperauit ea certè, quæ à probo sint homine & accepti beneficij memore expectanda. Fuit enim hic vir erga suos reliquos sic satis: erga fratris filios plusculum indulgēs. Quod si vitium est, hoc ex summis ipsius laudibus excipias licet: modò idem fateare, & plura eum & maiora vsibus Reipublicæ & præclarissimis rebus impendisse. Quò magis ignoscendum est, si nonnulla quoq; ijs quos præcipuè amabat, tribuisset: præsertim cùm in eo non videatur excessisse modum: opes enim quibus ornauerat suos, speciosas diceres, inuidiosæ non fuerunt. At contra, quantùm sumptus in ædificando posuerit, testantur non dico illa, quæ vt ipse benè in prædijs habitaret, dilapsis vetustate ædificijs noua passim extruxit: sed templa ab eo (vt honos Deo immortali haberetur) Płociæ, Pułtouiæ, Broci, magnificè partim condita, partim restaurata, vt præteream quæ ijs in ornamentis templorum reliquerit, quæ quidem & specie, & precio, & numero, non sunt inferiora ijs, quæ vspiam in Polonia visuntur. Susceperat enim iam pridem cogitationem dignissimam suæ pietatis, vt quæ parta benè & innocenter haberet, optimè quoq; ijs vteretur. Et quoniā Cracouiæ iam ante parauerat domum, dederatq; grandē pecuniam, vt esset vnde quadrageni adolescentes optimis disciplinis in celebri Gymnasio operam daturi, quotannis alerentur: cupiditas illum incessit, simile liberalitatis monumentum in Masouia patria relinquendi. Constructis igitur Połtouiæ amplissimis ædibus, in quibus iuuentus omni liberali doctrina excoleretur; cum intelligeret

eruditi-

eruditionem si pietas in Deum desit, obesse sæpiùs quàm prodesse: de adducendis eiusmodi Magistris laborabat, à quibus iuuentus & sapere disceret, & benè viuendi peteret exempla. Sacerdotes Societatis Iesu erant, quorum vitæ institutum & ratio docendì laudabatur; eosq; non ita pridem à vicino suo Prussiensi Hosio Cardinali Brunsbergam accitos magno prouinciæ commodo audiebat. Hos ille in ea domo collocauit, accepit elegãter potiùs quàm copiosé, tantùm enim annui prouentus assignauit, vt nihil illis ad victum aut deesset aut superesset. Pecuniam tamen, ad extruendum templum dedit ijs satis amplum. Vnde apparet non tam hunc fuisse pecuniæ cupidum, quàm in ipsius vsu prudentem. Aderat forte apud illum Franciscus Commendonus Zacynthi Episcopus: hic pro iure amicitiæ interrogatus, satisne illi ea quæ instituisset probarentur: negauit sumptum vsquam meliùs poni posse, & ad perficiendum hortatus est. Et quanquam ille in eiusmodi rebus non seruiebat opinionibus hominum, tamen in sua sententia magis confirmatus est, quum ad hæc quæ sponte faciebat tanti viri accessit autoritas. Agebat iam annum quinctum supra septuagesimum, quò magis licebat sine offensione cuiusquam, munia Reipublicæ rarius attingere, sic senex huic aderat, vt nemo hunc iuniorum assiduitate vinceret. Quodsi per valetudinem non licebat ei aliquando in curiam venire, tamen Regi super aliquo Reipublicæ negotio sententiam suam exquirenti, eam afferebat, vt facile ostenderet non marcescere simul cum corporibus humanos animos, sed potiùs quantùm vigoris sensibus detraheretur, tantùm ad aciem mentis accedere. Sic cum duos & viginti annos in Pontificatu egisset, effecissetq; eos quibus præfuit, re, copiosos, honestos moribus, vitâ integros

tegros: ipſe autem non minùs opibus creuiſſet quàm gratiâ, incidit in morbum initio non periculoſum, in progreſſu vt apparuit lethalem. Nam cùm Braniſci templum dedicauiſſet, ſiue ex vehementiore niſu ( quem inter dedicandum, tingendis vt moris eſt, ſacro oleo parientibus, adhibuit ) ſiue quapiam alia ex cauſa, lateris dolorē contraxit, & vt quiete & medicinâ ſe reficeret, Poſtouiam ire perrexit, vbi cùm miſſa ſibi ab amico Damaſcena pruna inſpexiſſet, ſumpſiſſetq; ieiunus aliquot ex ijs auidiùs: leui primùm horrore tentatus, mox in febrim incidit. Diſceſſerat ab illo iam ante Venceſlaus Fabius Teſſinen. ſummus medicus, ſanè perincommodè, cuius per duodeuiginti propè annos, operam in medendo feliciter eſt expertus, & in amicitia fidem. Itaq; remedia Chriſtianus Drozdouius apta adhibebat. Sed poſtquam æger inualeſcerè morbum in dies ſenſit, aduocatis fidiſſimis ſuorum, tempus inquit amici eſt, vt cùm nihil eorum quæ ad ſanandum corpus pertinent obmiſerim, animæ etiam dum licet conſulam. Sacerdotem ergo, quo cum ſecretiùs quædam communicem accerſiri ad me iubetote. Cui cùm ſe totum aperuiſſet, commiſſorum criminum labe expiatus, etiam ſacroſanctis religionis noſtræ myſterijs ritè procuratus eſt. Auerterat iam animum à cura rerum inanium ad contemplationem cœleſtium, cùm ſubitò alleuari morbo ſibi viſus eſt, ita vt etiam volucrem recenti aucupio captam, præparari in cibum, eamq; menſæ inferri iuberet. Sed re compertum, vana hæc ſanitatis indicia fuiſſe. Itaq; cùm iam ſenſim viribus collabi & ſpiritu deficere videretur, ſacerdos qui aderat ex Societate Ieſu, nulla circuitione vſus, ſpem vitæ abijcere illū iuſſit. Et cùm diceret æquum eſſe, vt repetenti benigniſſimo creditori Deo, debitum diſſolueret, non modò libenter ſed etiam

cum

cum gratia, ille se satis vixisse respondit, gratiasq; quas posset Deo immortali agere se dixit, quòd plurimis & maximis beneficijs cumulato, hanc quoq; diuturnioris vitæ vsuram sibi adiecisset. Vitam se quam ab eo acceperit libenter reddere: reliquorum, gratum se debitorem mori. Hac oratione habitâ, cùm inter suprema suspiria diuinæ se misericordiæ commendaret, extremum actum tanquã bonus Poëta præclarissimè clausit, excessitq; ex vita ad jx. Cal. Nouembris. Anno orbis redempti, M D L X VII. Pontificatus verò sui altero & vigesimo, cùm ipse quinctũ & septuagesimum exegisset. Quod si quà plus vitæ actionumq; censetur, hac parte de homine existimandum est, vir magnus & memorabilis fuit, sacerdos probus, Pontifex grauis, & suo obsequio ad gubernandum alios eruditus, & vt semel dicam, dignior semper honoribus habitus quàm quos gessisset. Formam etiam corporis ipsius describere libet, erat staturâ satis procerâ, paululùm incuruus, capite mediocri & caluo, fronte & supercilio graui, sed ore satis benigno, naso adunco, vt magni Regis speciem præferret, toto deniq; habitu decorus: quem cũ vidisses, non metueres, coleres libenter. Vox clara & virilis, valetudo satis prospera etiam seni, nisi quod herniæ molestijs interdum vexaretur. Elatus est magnifico funere, quanquam ipse non iusserat tumulatusq; inter lamenta & complorationes populi, non tàm illius vicem quàm suam dolentis, sepulchro quod sibi viuus parauerat Poltouiæ ad dextram Marianæ Basilicæ. Mors eius ne ijs quidem læta fuit, quibus proderat; ceteris diu luctuosa nunc etiam memoratur. Tum quoq; omnium confessione vir magnus & Regipublicæ vtilis, cùm iam neque odissent neq; assentarentur.